



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

641. An, & qualiter jurisdictio Archidiaconi sit subordinata Episcopi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

scriptio legitima in districtibus eorum jurisdictioni subiectis permittunt, nec minus invenire adhuc hodie datur Archidiaconos, qui in partibus Diocesis sibi ab Episcopo conceditis curam animarum sedulo invigilant, sequē in partem sollicitudinis episcopalis vocatos, & pro animabus sibi commissis, & delinquentium rationem Deo reddituros, ut dicitur in *c. ut Archidiaconus. & c. ad hac. h. t.* bene perpendunt.

*Questio 640. An jurisdictione Archidiaconi sit ordinaria, an delegata?*

1. **R**esp. eam non secus ac Vicarii Generalis Episcopi esse ordinariam. Fagn. *in c. ad hac. h. t. n. 29.* citans Innoc. & Host. *in c. 1. h. t.* Laym. *in c. 1. h. t. n. 3.* Pirh. *ad h. t. n. 5.* Et quidem contentiosam, ut addit Pirh. tum quia jurisdictionem ordinariam tribuit Vicaria perpetua juxta *L. 1. Cod. de off. qui vices alter. gerit.* Archidiaconus autem in omnibus est Vicarius perpetuus Episcopi *c. 1. h. t.* tum quia est ad universitatem causarum. Fagnan. Pirh. *loc. cit.* Unde causę Clericorum civiles, saltem minores, vel ubi de crimine civiliter agitur, ad Archidiaconum tanquam Judicem ordinarium in prima instantia sunt deferenda Pirh. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. 1. h. t. n. 4.* & Innoc. *in idem cap. sub princ.*

2. Limitat responsionem Barbof. *l. 1. r. jur. eccl. c. 24. n. 33.* nempe quod non habeat in omnibus jurisdictionem ordinariam, sed in iis tantum, quę a jure vel consuetudine ei sine speciali mandato Episcopi ei competunt exequenda, juxta *c. fin. h. t.* de jure autem communi competere ei ait Barbof. jurisdictionem in visitando & corrigendo in modicis tantum causis; cum *c. ad hac. h. t.* dicatur, ardua negotia non debere absque majoris sui presentia terminare, & sic jurisdictionem illam ordinariam non habet in criminalibus; nec in civilibus arduis, sed tantum in civilibus parvi valoris. Barbof. ex Roman. *conf. 371 n. 4.* & Cardin. Tusch. *Lit. A. conclus. 482. n. 9.*

*Questio 641. An, & qualiter hæc jurisdictione ordinaria Archidiaconi sit subordinata jurisdictioni episcopali?*

**R**esp. est hæc ejus jurisdictione ordinaria illi quidem propria & distincta à jurisdictione Episcopi, dum Archidiaconus tribunal veluti proprium habet, eidem tamen seu Consistorio, & tribunali episcopali tanquam inferior subordinata. Unde & ab Archidiacono ad Episcopum vel ejus generalem Vicarium appellari potest juxta *c. referente. de prob. nou.* secus ac juxta *glos. in L. 1. c. de off. Vicar. à Principum secularium Vicariis & urbium prefectis appellare licet.* Laym. *in c. 1. h. t. n. 3.* & *in c. fin. n. 1.* Pirh. *loc. cit. n. 2.* & 5. juxta dicta à nobis supra q. 4.

*Quest. 642. In quas personas, & in qua loca se olim extenderit, & modo extendat jurisdictione illa Archidiaconorum?*

1. **R**esp. ad primum. Spectato jure communi extenditur ordinaria illa fori externi jurisdictione Archidiaconorum (vi cujus visitare, præcipere, corrigere, punire, causas certas

cognoscere possunt) præcipue in ceteros Clericos omnes tam qui in Civitate quam qui extra illam per ceteram Diocesim habitant, utpote quibus *c. 1. & c. ad hac. h. t.* omnium Clericorum cura & sollicitudo post Episcopum demandatur Laym. *in c. 5. h. t.* Pirh. *ad h. t. n. 5.* Barbof. *loc. cit. n. 1.* Ita ut etiam ipsi Archipresbyteri (qui & ut Laym. Decani vocantur) jurisdictioni Archidiaconi subiecti sint. Pirh. *loc. cit. num. 4.* Laym. *ad c. ad hac. h. t.* Fagn. *ibidem. n. 10.* juxta expressum *cit. c.* textum. Quod tamen, ut Fagn. intelligendum quod ad ea tantum, quę Archidiacono competunt de jure vel consuetudine, ita ut ratione hujus jurisdictionis Archidiaconus nullam habeat in Archipresbyterum autoritatem, Neque in Clericos solum, sed etiam in laicos v. g. parochianos jurisdictionem illam suam exercent. Fagn. *loc. cit. num. 28.* ubi curam habet tam in urbe positorem quam eorum, qui parochias habitant &c. Et sic constat ex moderna etiam locorum plurium praxi, dum in visitationibus de excessibus parochianorum cognoscunt, eosque puniunt Archidiaconi.

2. Resp. ad secundum. In quibusdam Diocesis dicta Archidiaconorum jurisdictione se extendit ad parochias civitatis episcopalis ad certum districtum adjacentem, qui fines Archidiaconatus dicuntur. In aliis locis, dum plures sunt Archidiaconi, singuli singulas Diocesis partes certas veluti regiunculas sibi subiectas habent Laym. *ad c. fin. h. t. num. 1.* At ita quoque juxta dicta jam saepe in hac extensione jurisdictionis ratio consuetudinis specialis habenda ac tenenda est.

*Quest. 643. Num ergo etiam Archidiaconus jurisdictionem habeat in regulares ab Episcopo non exemptos, ac monasteria sita intra fines seu districtum sui Archidiaconatus?*

**R**esp. non habet illam, nisi fortè generalis aut specialis consuetudo id ei tribuat. Fagn. *in c. dilecto. h. t.* citans Abb. Jo. And. Burr. Anchar. &c. Laym. *in cit. c. dilecto. num. 2.* Pirh. *ad h. t. num. 16.* ubi: Archidiaconus in monasteria sita intra fines suos, etsi exempta non sint à jurisdictione Episcopi, jurisdictionem non habet, nisi eam per diuturnam consuetudinem legitime præscripserit. Hanc quoque rationem, cur Archidiacono Religiosi etiam non exempti subiecti esse non debeant quo ad correctionem, visitationem, aliosque actus jurisdictionis addit Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *n. 17.* quod cum præter Episcopum ordinarius Religiosorum prælati sit Abbas seu Præpositus regularis, consensaneum non sit, ut alium Ordinarium habeant. Sed neque ex eo, quod, ut dictum, Archidiaconus spectato jure communi omnem curam totius cleri habeat juxta *c. 1. & c. ad hac. h. t.* quod ad jurisdictionem in regulares fundatam intentionem habet, quoties ostendit, monasterium intra fines sui Archidiaconatus situm fuisse sicut eam fundatam habet Episcopus, ac proinde in petitorio semper obtinet, ut constat ex *c. si quis Abbas. 18. q. 2.* nisi monasterium vel privilegio, vel præscripta consuetudine exemptionem ostendere posset. Nam licet Archidiacono cura totius Cleri commissa sit, tamen hoc nomine